

EMMANVELIS ALVARI
E SOCIETATE IESV
DE INSTITUTIONE Grammatica,

LIBER I.

Cum facilioribus Syntaxeos Præceptis.

SCHOLIIS AVCTORIS ET RVDIMENTIS prætermissis.

Bibl. Scen. Coll. Rom. S.J.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

In Officinâ Birckmannica. Anno 1698.

EMMANUELIS ALVARI,
è Societate Jesu,
DE INSTITUTIONE GRAMMATICA
LIBER PRIMUS.
PRÆFATIO.

Jure optimo labor hic, qualiſcunque ſit, fruſtrà ſuſceptus, in tanta librorum multitudine videri poſſet, niſi ſingularis illa virtus, qua res parvæ creſcunt, ſine qua maximè dilabuntur, nos tueretur. Etenim cum Patribus noſtris illud inprimis propoſitum ſit, atque ob oculos perpetuò verſetur, ut qui Societati Jeſu, ejuſdem Dei Opt. Max. beneficio nomen dedimus, non ſolùm in iis quæ propria ipſius ſunt inſtituti; verùm etiam in rebus, quæ minimi videntur eſſe momenti, concordiſſimè vivamus: viſum eſt ab aliquo noſtrûm Grammaticam artem ſcribendam eſſe, qua ubique terrarum, quoad ejus fieri poſſet, noſtri uterentur. Quod onus cùm mihi eſſet impoſitum, id quidem non meis humeris (ſcio enim quàm ſim imbecillis) ſed ſanctæ obedientiæ viribus fretus libenter ſuſcepi; nam ei, qui ſponte ſuâ ſui juris eſſe deſiit, proprioque judicio atque voluntati propter Deum nuncium remiſit, non tam inſcitiæ nota, quàm nec obedientis animi crimen pertimeſcendum eſt.

Suſcepto itaque onere, operam dedi, ne officio meo deeſſem, fontes ipſos adii. M. Varronis Romanorum omnium eruditiſſimi libros de Etymologia, atque Analogia, duodecim Fabii Quintiliani de inſtitutione oratoria, qui mihi magnum adjumentum attulerunt, A Gellii noctium Atticarum, unde vi-

ginti, Probi, Domedis, Phocæ, Donati, Prisciani institutiones Grammaticas, ut potui, perlegi; quorum postremus ante mille annos. Justiniani Principis ætate Athenis floruit. Is præter cæteros decem & octo libros scripsit, in quibus passim hominum doctissimorum testimoniis utitur, quorum hodie aut nulla, aut per exigua extant vestigia. Est ille quidem sermone inornato & incompto, sed multâ ac variâ eruditione. Labitur interdum ut homo, maximè ubi Latina præcepta, ut Græcus, ad Græcorum normam exigit: sed gravissimorum authorum, quos tertio quoque verbo citat, præclara atque luculenta doctrina, ejus errata obteguntur penitus & obscurantur. De rebus vel minimis tenuissimisque hoc est primis elementis, quâ fuit diligentiâ, testes locupletissimos M. Varron. C. Cæsar. Plinium, atque alios quàm plurimos producit. Nemo mihi quidem rem Grammaticam copiosiùs, nemo accuratiùs aut tractasse, aut plures veterum Grammaticorum commentarios videtur pervolutâsse. Quod ad Recentiores attinet, eos potissimùm evolvimus, qui nobis usui essent futuri. Jactis ad hunc modum fundamentis, ex utrisq; Grãmatices præcepta delegimus, quæ Terentij, Cicer. Cæsaris. Livij, Virg. Hor. atque aliorum veterum testimoniis pro nostra tenui infirmaque parte confirmavimus. De his si qui fortè in hunc librum incidissent, breviter putavimus admonendos. Reliquum est quoniam librorum infinitus est numerus, scribendorum nullus est finis, ut convenienter divinis præceptis congruenterque vivamus. Ità enim fiet, ut in libro vitæ conscripti Dei Optim. Max. conspectu, cui hoc Opusculum dicamus, perpetuò fruamur. DE

DE GENERIBUS NOMINUM, quæ ex significatione cognoscuntur.

QUæ maribus solùm tribuuntur, mascula sunto. * ut vir. Cato, Leo.
*Mascula censentur, * specie depicta virili:* † Mars Boreas.
Et quibus appositum tantum tribuisse virile.
Credibile est Veteres, latro ceu præsul & hospes.
*Fœmineum dices, quod * fœmina sola reposcit,* † ut mulier, Mysis, equa
Jungito fœmineis † muliebri prædita forma: † ut Iris. Syrinx, Alecto.
† Quæque adjectivum tantùm muliebre requirunt. † ut operæ, custodiæ.
† Quæ neutro apposito gaudent, neutralia sunto. † ut animal.
Est commune duûm, sexum quod claudit utrumque † ut prudens, felix.
Articulo gemino: veluti bos fortis, & hostis.
Antistes, juvenis, vates, patruelis, & infans.
Affinis, miles, cum cive, cliente sacerdos,
Et comes, atque canis sus, dux, authorq́ue, parensq́ue. † ut october, Tagus.
Municipi conjux, adolescens, augur adhærent.
† Est commune trium generi quod convenit omni. † Cypr. Carthago, Ægyptus, Pistris. Æneis.
Pro maribus pugnant menses, fluviique minaces.
† Insula fœminea, Urbs, Regio, cum Nave Poësis.
Fœminea est † arbor. Foliis oleaster amarus. † ut pinus cupressus,
Mas est, Hoc acer, atque siler, cum subure, robur.
Um neutris junges, hominum si propria demas.

* ut Beatra, Susa. *A, * plurale genus neutrum ſibi poſcit ubique.*
* ut Puteoli, liberi. ** Nomen in I, maribus, ſi ſit plurale, reſerva.*
Trade notas neutri, & vocem pro nomine ſumptam:
Et verbum quodvis nuda pro voce repoſtum.

DE GENERIBUS NOMINUM.

Quæ ex poſitione cognoſcuntur.

FOemineum A prima eſt, veluti panthera ſagitta.
Adria mas eſto, cui junge cometa planeta,
Hic mammona petit: Paſcha hoc, cui jungito manna.
* ut Sinapi. *Nomen in A, terna, neutrum eſt, ceu ſtigma, toreuma.*
E, latiale petit neutrum, velut acre, monile.
* ut puglo *Fœmineum eſt aloê, Rhodopêque & cætera Græca.*
* ut lectio. oratio. *I, * neutris tribue. O maribus finita dabuntur.*
*Eſt * IO fœmineum, fuerit ſi corporis expers.*
† Dulcedo, imago. *Cui caro jungatur, cœnatio, portio: quodque*
Deſinit in DO, GO: Neutris adſcribito pondo.
Harpago, cudo, ordo, mas, udo, cardo, ligoque.
* ut tribunal, caput. *U, C, D, da neutris, velut id, cum lacte geluque.*
** L, T, ſit neutrum, Hic mugil, ſal, ſolque repoſcunt.*
† ut pæan, Delphin, agon. *AN, IN, ON, mas: Hæc ſindon, & ſuavis aêdon,*
Queis adde alcyonem Neutris da cuncta ſecunda.
** En dabitur neutris: hymen, ren, maſcula ſunto,*
* ut carmen, lumen. *Et ſplen, atque lien, atagen, cum pectine lichen.*
Poſtulat AR neutrum, ceu par, cum nectare, bacchar.

ER,

ER, maribus dona: laver hoc cum tubere poscit, ut Imber.
Uber, iter, spinter, lacer, cicer, atque papaver,
Ver, siser, atque piper, cum verbere, necte cadaver.
Or, * maribus servit. Muliebris demitur arbor, † ut dolor, honor.
* Accedunt neutris, cor, ador, cumque æquore, marmor.
Exigit * Ur neutrū. Hic furfur, cum vulture turtur. † ut fulgur.
Fœmineum * AS, Neutrum, Vas, vasis fasque nefasque. * ut tempestas, lampas.
Mascula sunt elephas, adamas, as, atque tiaras,
* Cum reliquis cunctis flectit quæ prima Pelasgum. † ut Pharias, Mammonas.
Esto nomen in * Es muliebre: sed esto virile.
Limes, pes, fomes, termes, cum palmite, trames, † ut cōpes, moles.
Et gurges, merges, poples, cum cespite vepres,
Et paries, stipesque meri nomenque diei,
His Græcum * prima vel ternæ jungito nomen. † ut aromatites. lebes.
Hipomanes neutris, panaces, cacoëtis adhærent.
* Is dato fœmineis, Maribus da piscis aqualis, † ut navis clavis.
Anguis, tum fustis, tum callis, follis, & ensis,
Mensis, cum vecti, terris, glis, postis & orbis,
Et sanguis, cenchris, collis, cum vomere cassis,
Mugilis, atque lapis, vermis, cum fasce, canalis, † ut vigessis.
Unguis, cum cucumis, cum caulis, pulvis, & axis. † Centussis.
NIS quoque finitum, ceu panis, & * asse creata. † ut ros, flos.
Mascula in OS sunto, Dos, cos, muliebris & arbos.
Da chaos, atque melos neutris, os, argos, eposque.

†ut sensus regus. *Nomen in Us, mas est, seu quarta, sive secunda.*
Porticus atque tribus, muliebris acusq; manusq;.
Alvus, humus, vannus, colus, idus, carbasus addes,
Et domus, & ficus pomum: mas morbus habetur,
Plurimâ in os, Græca, Ausonij fecêre Latina:
†ut pecus pecoris *Quæ maribus partim, ut prologus paradisus adhæret*
Partim fœmineis, veluti diphthongus, eremus,
†ut chiropus, æcipus. *In neutris numera virus, pelagusq; profundum.*
Postulat Us neutrum, quoties id tertia flectit.
Hic lepus & mus: pus Græcum, compostaq; junges*
Si tibi fœmineum lagopus herba, volucris.
†ut servitus, juventus, senectus *Cum tellure palus, subscus, pulcherrima virtus,*
Atque salus pecudisq; pecus, quibus additur incus.
†ut mens fors *Quæque sibi* servus, juvenisq; senexq; jugarunt.*
†ut quadrans, triens. *Æs tibi sit neutrum: Laus, fraus, muliebria sunto.*
** S dato fœmineis: si consona ponitur ante.*
Esto virile, rudens, fons, pons, seps, lethifer anguis,
† ut hydrops, melops. *Mons, dens, atque chalyps, quibus addito partes,*
Et polisyllaba PS, Forceps dematur adunca,*
†ut Sandix, celox, *X,* dato fœmineis, sed Eryx, grex mascula sunto.*
Et spadix, bombyx, vermis, cum fornice phœnix,
Atque calix, coccyx, & oryx, varixq; calixq;.
Præterea volvox, quicunx septunxq; deunxq;.
†ut thorax pollex. *Ax,* Ex finitum polysyllabon esto virile.*
Fœmineum thomex, h[illegible]x, cum smilace fornax.

Et

Et forfex, vibex, carex, adjunge supellex.
Mobile fit fixum, si fixum mente subaudis:
Unde genus capit, ut sonipes, Oriensq́, Tinansq́.
Mobile fit neutrum, ne fixum mente subaudis.
Respicimus fines, non significata frequenter,
Zeugma, reate, ideo petit hoc, cum Tybure, Care.
Hoc Præneste Hispal Sulmo hic uberrimus undis.
Martius hic Narbo, braccatæ gloria gentis.
Hæc damnata diu Romanis Allia fastis.
Respicit interdum nomen generale poëta,
Unde sibi meritò genus inferiora capessunt.
Sic volucrem sequitur bubo, sic flumen Iader.

DE NOMINIBUS INCERTI Generis.

Hæc modò fœmineis, maribus modo juncta videbis,
Grossus, adeps, atomus, limax, cum torque phaselus,
Scrobs serpens, finis, cum corbe, diesq́, rubusq́,
Postulat, hic, aut hoc meritò Nar, vulgus & anxur.

NOMINA MASCULINA APUD ORATORES, quibus Poëtæ interdum etiam genere muliebri utuntur.

Mascula bubo, specus, cortex, cum pumice pulvis,
Et calx pars pedis, atque silex, cum margo palumbes
Proferet hæc cantè juvenis muliebria vates.

NOMINA FERE FOEMININA APUD Oratores, & interdum masculina, præcipuè apud Poëtas.

Est muliebre animans, volucris, cum stirpe cupido.
Sardonichen comitatur onyx, grus, clunis & ales,
Cum talpa linter, cum dama linxque penusque,
Hæc maribus tribues, cinges cum tempora laurus.
Hunc jubarem, hunc frontem, hunc pinum, nimiumque vetusta.
Pacuvij proavis: atavisque utenda relinque.

us hic lepus, hæc vulpes.

DE GENERE EPICOENO.

Articulo, sexum qua complectuntur utrumque,
Vno, Epicoena vocant Graij, Promiscua nostri.

DE NOMINUM DECLINATIONE.

Nomina composita ferè instar simplicium declinantur.

In compositis rectus tantùm casus declinatur: ut Tribunus plebis, tribuni plebis, tribuno plebis, tribunum plebis, &c. Huc spectant senatusconsultum, Jurisperitus, Paterfamilias, atque alia ejusdem generis.

Si nomen ex duobus rectis copuletur, uterque declinabitur, ut Respublica Jusjurandum, Reipublicæ, rempublicam, &c.

EXCIPITUR.

Alteruter, cujus posterior tantùm pars declinatur, excepto genitivo singulari, qui utro-

que

que modo declinantur, alterutrius, & alterius utrius.

Nomina neutra tres casus habent similes, nominandi, accusandi, & vocandi: qui numero multitudinis A literâ terminantur, præter ambo, & duo.

Vocativus singularis quartæ & quintæ declinationis similis est nominativo: sensus, ô sensus: dies, ô dies.

Nominativus & Vocativus multitudinis, similes sunt: Musæ, ô Musæ: Virtutes, ô virtutes.

Dativus & Ablativus numeri pluralis similes sunt: Musis, à musis: Virtutibus, à virtutibus.

PRIMA DECLINATIO.

PRimæ declinationis nomina in A, AS, Es, E, exeunt: quæ A litera terminantur, tum Græca, tum Latina sunt, ut Majaa, Ægina, victoria, familia.

Quæ in AS, & ES, syllabas exeunt, Græca tantùm: ut Æneas, Anchises; & declinantur hoc modo:

Nominativo Æneas, Genitivo Æneæ, Dativo Æneæ, Accusativo Ænean, Vocativo ô Ænea, Ablativo ab Ænea.

Nominativo Anchises, Genitivo Anchisæ, Dativo Anchisæ, Accusativo Anchisen, Vocativo ô Anchise, Ablativo ab Anchise. Numero multitudinis omnino cum Latinis nominibus primi ordinis consentiunt.

Pris-

Priscis temporibus genitivus singularis Latinus etiam in As syllabam terminabatur, unde etiam nunc dicitur paterfamilias, materfamilias, filiusfamilias.

Aulai, pictai, & his similes interrogandi casus interdum apud Poëtas leguntur, pro aulæ, pictæ, *Virg. lib. 9.*

Dives equûm, dives pictai vestis & auri.

A Maja, Ægina, & aliis hujusmodi Græcis nominibus fœmininis, accusativus per An syllabam aliquando apud Poëtas exit, ut Majan, Æginan.

Vocativus similis est Nominativo, ô Musa, ô Maja Græca, S. literam deponunt ut ô Ænea, ô Anchise.

Dativus multitudinis is syllaba finitur, præter duabus, ambabus & deabus, nonnulla alia ejusdem exitûs, quæ etiam à viris doctis sexûs discernendi gratiâ usurpantur.

Nomina E literâ finita, secundæ declinationis Græcorum, sic declinantur.

Nominativo musice, genitivo musices, dativo musice, accusativo musicen, vocativo ô musice, ablativo à musice. Numero plurali Latinam declinationem sequuntur.

Ad hunc modum declinantur Mastiche, grammatice, rhetorice, dialectice, Libyce, quorum ultima vocalis si in alterum mutetur, Latinè declinantur, ut grammattica, grammaticæ, &c.

SECUN-

SECUNDA DECLINATIO.

LAtina nomina secundæ declinationis in syllabas: ER, IR, UR, US, UM, exeunt, ut faber, vir, satur, populus præmium.

Græca in OS, ON, EUS, ut Delos, Androgeos; Pelyon, Tydeus.

Genitivus ferè est æqualis nominativo syllabarum numero, ut populus, populi: præter Iber, Iberi: Celtiber, Celtiberi: armiger armigeri: signifer signiferi: liber, liberi: Trevir, Treviri: satur, saturi: & nonnulla alia.

Poëtæ aliquando alterum i omittunt, *Virgil. Eccl. 1. Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.*

Androgeos non solùm Androgei, sed etiam Androgeo more Attico facit Genitivo.

Accusativus à Græcis in Os, s literam mutat in n, ut Delos, Delon: Menelaos, Menelaon: Athos, Athon, vel Atho, more Attico.

I. EXCEPTIO.

Cætera nomina, Vs syllabâ finitâ mutantur in e: populus, ô popule: fluvius, ô fluvie: tabellarius, ô tabellarie: præter filius, & nomina propria in ius, quæ Vs syllabam deponunt, ô fili, ô Pompei Cic. in Octav. *Quantum te popule Romane de me fefellit opinio.*

II. EXCEPTIO.

Græca quæ in Eus & hoc est, us dipthongum exeunt, deponunt s Vocativi, Tydeus ô Tydeu, Panthus, ô Panthu.

I. AP-

I. APPENDIX.

Græca eus syllabâ finitâ, etiam genitivo faciunt eos, & accusativo ea, maximè apud Poëtas, sed tunc ad tertiam declinationem spectant, ut Tydeus, Tydeos, Tydea: Tereus, Tereos, Terea.

II. APPENDIX.

Vocativus Græcorum nominum, quæ os in us mutant, etiam in e literam exit: ut Timotheus Pamphilus, ô Timothee Pamphile: Antæus Thymbræus, Ptolomæus, ô Antæe, Thymbræe, Ptolomæe.

III. APPENDIX.

Latini interdum, vel Euphonæ causâ, vel Atticos imitantes, vocativum faciunt similem Nominativo: O populus, O fluvius, O Meus. Liv. 1. ab Urb. *Audi tu populus Albanus* Virg. lib. 6. *Projice tota manu sanguis meus.* Idem 8. *Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum Adsis ô tandem.*

Nominativus multitudinis i, litera terminatur: ut captivi, Dei, vel Dij.

Priscis temporibus ei, diphthongo terminabatur, ut captivei.

Dativus pluralis is, syllaba finitur, ut captivis, Deis, vel Diis.

TERTIA DECLINATIO.

ETsi tertiæ declinationis quam plurimæ sint positiones, genitivus tamen in is syllabam exit: qui nominativo modò est æqualis numero syllabarum, ut navis: modò unâ syllaba longior,

ior , ut turbinis : unedo , unedonis : modò
ıabus : ut iter , itineris : biceps , bicipitis :
pellex , ſupellectilis.

O

Macedo, Macedonis : Anio, Anientis : Nerio,
erientis.

N.

Babylon , Babylonis : Palæmon Palæmonis :
:nophon, Xenophontis.

R.

Lar laris : hepar hepatis : acer acris : mulci-
r, mulciberis: jecur jecuris, vel jecinoris.

AS.

Calchas , Calchantis : hic Pallas , Pallantis :
c Pallas, Pallad.

ES.

Chremes , Chremetis , vel Chremis : Laches,
:hetis, vel Lachis.

IS.

Simois, Simoentis : Pyroys, Pyroentis : Caryb-
, charybdis : Paris, Paridis.

OS.

Rhinoceros, Rhinocerotis, Tros, Trois : Mi-
, Minois : Heros, Herois.

VS.

Melampus, Melampodis : Opus, Opuntis, Ama-
s, Amathuntis.

YS.

Capys, Capys : Corys, Corys : Chlamys, Chla-
lis.

NS.

NS.

Lens lendis: lens lentis: frons frondis: frons frontis: Aruns aruntis.

PS.

Auceps aucupis: anceps ancipitis: gryps gryphis, ſtirps ſtirpis.

RS.

Lars Larris, Rex Vejentium: concors concordis.

Aſtianax Aſtinactis: arx arcis: merx mercis: vervex vervecis: lynx lyncis.

GENITIVUS GRÆCUS IN OS.

Græco genitivo, os ſyllaba finito, interdum utuntur Latini, ut Metamorphoſis, Metamorphoſeos: Decapolis, Decapoleos: Tanis, Taneos: Tethysa Tetyos: Erymanthys Erymanthidos.

GRÆCUS GENITIVUS IN US.

Manto, Caliſto, Alecto, Calypſo, & cætera id genus Græca, Us faciunt genitivo, ut Mantus, Calypſus.

Si cui fortaſſe breviores videbimur, Priſcianum adeat; qui de poſitionibus atque caſibus interrogandi, potiſſimum tertiæ declinationis, ſextum librum: de cæteris verò caſibus, ferè ſeptimum, ſcripſit accuratiſſimè. Nos de iis tantùm putavimus agendum, quæ non ità trita ſunt, & quotidiana. Injuria enim fit præſtantiſſimo magiſtro uſui, ſi de iis ages, quæ ad ipſum maximè ſpectant.

Accu-

Accusativus exit in em, ut Sermonem.

I. EXCEPTIO.

Buris, cucumis, pelvis, ravis, securis, tussis, vis, m, exeunt.

II. EXCEPTIO.

Febris, navis, puppis, clavis, restis, turris, in , vel Im, terminantur.

ACCUSATIVUS GRÆCUS

Græcus accusativus in a, exit, ut Hectora, Calchanta, aëra, æthera.

I. EXCEPTIO.

Græca o, litera finita, habent accusativum lem nominativo, ut Manto, Calypso, Ale-

II. EXCEPTIO.

Græca *is*, syllaba finita, quæ apud Latinos ge- vum habent similem nominativo, hoc est, rum genitivus apud Græcos in *os* exit, nulla cedente consonante, accusativum faciunt Græcè, vel Im. Latinè, ut Charybdis, Cha- din, vel Charybdim.

Ys finita frequentiùs in Yn, vel Ym, exeunt, Thetys, Thetyn: Corys, Coryn: Halys, Ha- , vel Halym.

Quæ verò genitivo crescunt, neque accen- habent in ultima, in In vel Im, vel Em ex- t: ut Paris, Paridis. Parin, vel Parim, vel dem: Iris, iridis, irin, vel irim, vel iridim:

NS.

Lens lendis: lens lentis: frons frondis: frons frontis: Aruns aruntis.

PS.

Auceps aucupis: anceps ancipitis: gryps gryphis, stirps stirpis.

RS.

Lars Larris, Rex Vejentium: concors concordis.

Astianax Astinactis: arx arcis: merx mercis: vervex vervecis: lynx lyncis.

GENITIVUS GRÆCUS IN OS.

Græco genitivo, os syllaba finito, interdum utuntur Latini, ut Metamorphosis, Metamorphoseos: Decapolis, Decapoleos: Tanis, Taneos: Tethysa Tetyos: Erymanthys Erymanthidos.

GRÆCUS GENITIVUS IN US.

Manto, Calisto, Alecto, Calypso, & cætera id genus Græca, Us faciunt genitivo, ut Mantus, Calypsus.

Si cui fortasse breviores videbimur, Priscianum adeat; qui de positionibus atque casibus interrogandi, potissimum tertiæ declinationis, sextum librum: de cæteris verò casibus, ferè septimum, scripsit accuratissimè. Nos de iis tantùm putavimus agendum, quæ non ità trita sunt, & quotidiana. Injuria enim fit præstantissimo magistro usui, si de iis ages, quæ ad ipsum maximè spectant.

Accu-

Ccusativus exit in em, ut Sermonem.

I. EXCEPTIO.

Buris, cucumis, pelvis, ravis, securis, tussis, vis, n, exeunt.

II. EXCEPTIO.

Febris, navis, puppis, clavis, restis, turris, in, vel Im, terminantur.

ACCUSATIVUS GRÆCUS

Ræcus accusativus in a, exit, ut Hectora, Calchanta, aëra, æthera.

I. EXCEPTIO.

Græca o, litera finita, habent accusativum lem nominativo, ut Manto, Calypso, Ale-

II. EXCEPTIO.

Græca *is*, syllaba finita, quæ apud Latinos genvum habent similem nominativo, hoc est, rum genitivus apud Græcos in *os* exit, nulla cedente consonante, accusativum faciunt Græcè, vel Im. Latinè, ut Charybdis, Chadin, vel Charybdim.

Ys finita frequentiùs in Yn, vel Ym, exeunt, Thetys, Thetyn: Corys, Coryn: Halys, Ha-, vel Halym.

Quæ verò genitivo crescunt, neque accenn habent in ultima, in In vel Im, vel Em ext: ut Paris, Paridis. Parin, vel Parim, vel idem: Iris, iridis, irin, vel irim, vel iridim:

Isis, Isidis, Isin, vel Isim, vel, Isidem: quæ etiam in A, apud Græcos exeunt, ut Parida, &c.

VOCATIVUS.

Vocativus similis est nominativo, ô sermo hæc Pallas, ô Pallas, ô Socrates, ô Chremes, ô Achilles, ô Heros, ô Chlamys: ô Socrate, Chreme, Achille, Ulysse, ad primam spectant.

EXCEPTIO.

Græca quæ in is, vel ys exeunt, neque habent accentum in ultima apud Græcos, deponunt s, nominativi, ô Mæri, iri, Pari, Terhy, & apud Poëtas fœminina in is, quorum genitivus exit in dis, quamvis accentum habeant in ultima ô Amarylli, Tyndari, Oebali.

Item propria in as, quorum genitivus exit in antis, apud eosdem Poëtas deponunt, s, ô Palla, ô Calcha.

Præterea, quæ ante s, habent diphthongum, ferè s, literam abjiciunt, ut Simon, Simois, Tydeus, Melamp, Melampus, ô Simoi, Tydeu, Melampu. Quæ omnia apud Atticos vocativum habent similem nominativo, ô Paris, Calchas, Simois, Melampus: quos interdum imitantur Latini.

ABLATIVUS.

Ablativus exit in e, à teste, duce, hospite, paupere, pubere, sospite.

I. EXCEPTIO.

Nomina, quarum, Accusativus exit in In, vel Im,

, Neutra in Al, Ar, E, nomina mensium, Adjectivum; cujus neutrum e, litera terminatur, I, postulant, ut Charybdi, siti, animali, calcari, mo-
i, Septembri, brevi.

Quibus accedunt pluri, strigili, canali, me-
ori.

Far, nectar, hepar, jubar, e, contenta sunt. Item
usape, Soracte, Præneste, Reate, & cætera. Ho-
n propria hujus positionis si tamen huc spectant;
nt enim pleraque declinationis expertia.

II. EXCEPTIO.

I, vel E, petunt cætera adjectiva, & substantiva;
orum. Accusativus in Em, vel, Im, definit, ut
elice vel felici: ingente vel ingenti: nave vel navi.
ibus addes amnis, ignis, imber, supellex, ve-
s.

I. APPENDIX.

Appellativa adjectivis similia, leges adjectivorum fermè sequuntur, ut familiaris, annalis,
pennis, triremis, affinis: à familiari, annali, &c.
ridens à tridente vel tridenti.

Sin verò propria sint, e, tantùm postulant, ut
artialis, Juvenalis, Felix, Clemens, à Martiale,
venale.

II. APPENDIX.

Pleraque adjectiva, quæ in literas NS, exeunt
rè e, contenta sunt: ut prudens, imprudens: à
udente, imprudente.

Participia in E exeunt ut absente, præsente, audiente. Cic. l. 3. in Verr. *Illa deos hominesque implorante, iste infanti pupillæ fortunas patrias ademit.* Plin. *Bætica à flumine eam mediam secante cognominata, cunctas provincias diviti cultu, & quodam quasi fertili nitore præcedit.*

Interdum etiam in I, sed tunc ferè in nomina transeunt.

Comparativa nomina multò usitatiùs in E, literam, quàm in I, exeunt, ut superiore, faciliore, uberiore.

CASUS MULTITUDINIS.

NOminativus pluralis exit in Es, ut Sermones, Delphines, Troës.

GENITIVUS PLURALIS.

GEnitivus multitudinis in um syllabam exit, ut juvenum, canum, vatum, majorum, minorum: eodem modo cætera comparativa.

EXCEPTIO.

In Ium exeunt, quæcunque literis NS. finiuntur, ut serpentium, præsentium.

Item S. litera terminata, quæ genitivo non crescunt, ut collis, collium: clades, cladium: Et quorum ablativus in i, aut e vel i, exit, ut diœcesium, syrtium, animalium, plurium, navium, felicium.

Quibus adde Samnitium, lyntrium, cohortium, utrium, ventrium, fornacium.

Ad-

Adhæc monosyllaba, quæ in duas consonantes exeunt, ut trabs, seps, pars, arx, merx: trabium septium, partium arcium, &c.

Quibus accedunt as, assis, glis, lis, mus, nix, nox, os, fauces, faucium, & si quæ alia sunt à viris doctis usurpata.

HINC RURSUS EXCIPIUNTUR.

Parens, degener, inops, memor, supplex, vetus, uber, lynx & alia, quorum genitivus exit in um, quæ progrediente tempore, te rerum omnium magister usus sine fastidio docebit.

GENITIVUS GRÆCUS.

GEnitivus Græcus exit in ὧν, hoc est on per ω magnum, ut epigrammaton, hæreseon.

DATIVUS PLURALIS.

DAtivus in ibus exit, ut sermonibus: Bos tamen bobus, aut bubus facit.

Græca à neutris in is, syllabam frequentius exeunt, ut peripsematis, emblematis, poëmatis, & poëmatibus, diplomatis, diplomatibus.

ACCUSATIVUS PLURALIS.

ACcusativus multitudinis, in ES syllabam exit, ut sermones: exit & in is, vel eis, cum genitivus certorum nominum desinit in ium, ut omnis, urbis, vel omneis, urbeis: uter alter alteri sit præferendus, judicabunt authores.

CAsus plurales nominandi, accusandi, & vocandi neutri generis in (a) desinunt, si

 abla-

Ablativus in e, tantùm exit, ut tempora: Sin verò i, aut e, vel i, terminetur, tunc in ia desinent, ut vectigalia, ingentia.

Præter comparativa, majus, vetus, plus, quæ in a, exeunt, majora, vetera: plura: Aplustre, Aplustria & aplustra facit.

ACCUSATIVUS GRÆCUS.

Accusativus Græcus in as definit: ut Delphinas, Trojas, Crateras: Virg. ecl. 2. *Orpheus in silvis, inter Delphinas Arion.*

QUARTA DECLINATIO.

Genitivus singularis quartæ declinationis exit in us syllabam, ut senatus, anus. Prisci senatuis, anuis, dicebant: apud quos etiam i, litera, hic casus terminabatur, ut ornati, tumulti, unde Ter. more prisco: *Ejus annuis causa dixit,* & *nihil ornati, nihil tumulti.*

Dativus in ui exit, ut Senatui, anui: Priscis seculis, etiam in u, exibat, unde Virg. Æneid. *Parce metu Citherea.*

Dativus multitudinis in ibus exit, ut sensibus.

EXCEPTIO.

Arcus, artus, lacus, partus, specus, tribus, in ubus, exeunt: Lacubus, specubus, tribubus. Portus in ibus, & ubus. Quæstibus à quæror, multò usitatiùs est quàm quæstubus.

QUIN-

QUINTA DECLINATIO.

CAsus interrogandi singularis quintæ declinationis in ei, literas divisas exit, ut diei, apud ntiquos in es. sive e, exibat. Unde Virgil. Georg. 1. *Libra dies somnique pares ubi fecerit horas.* Et Ovid. Met. 3. *Prima fide vocisque rata tentamina sumpsit.* xit & in duplex ij, Virg. Æneid. *Munera lætitiamque dij.*

Casus interrogandi, dandi sextusque multitudiis, præter rerum, rebus: dierum, diebus, inusitati int. Cicero non est ausus specierum. Speciebus icere, non tamen negat posse Latinè dici.

SYNCOPE.

OMnium fermè declinationum interrogandi casus multitudinis interdum, maximè à Poës imminuuntur: quam imminutionem Græci Synopen vocant.

PRIMÆ.

Cæliculûm, Æneadûm, Trojugenûm, &c. pro elicolarum, &c.

SECUNDÆ.

Liberûm, nummûm, sestertiûm, fabrûm, Deûm, c. pro liberorum, nummorum, &c.

TERTIÆ.

Clarûm, cædûm, veprûm, cælestûm, agrestûm, tentûm, furentûm, Macedûm: pro cladium, cæum, veprium, cœlestium, agrestium, potentium, rentium, Macedonum: quæ & alia ejusdem gene-, non facilè apud Oratores reperientur.

I. APPENDIX.

Genitivus imminutus à nominibus ſubſtantivis, as ſyllaba finitis, uſitatior eſt, quàm plenus, ut civitatum, quàm civitatium.

Quidam genitivi tum pleni, tum imminuti ſunt uſitati, etiam apud Oratores, ut aptum, & aptium, ſerpentium, & ſerpentum: Quiritium & quiritum: optimatium, & optimatum: locupletium, & locupletum.

QUARTÆ.

Currûm, paſsûm, pro curruum, paſſuum.

ANOMALA SIVE INÆQUALIA.

ANomala, ſive inæqualia vocantur, quæ aut numero, aut genere, aut declinatione, aut caſu, aut aliquo alio attributo deficiunt.

NUMERO INÆQUALIA.

Quædam ſingulari numero tantùm declinantur: ut aurum, aër.

Quædam plurali ſolùm, ut: Cani, canorum: Penates, penatium: Caſtra, Calendæ.

GENERE INÆQUALIA.

Quædam ſingulari numero ſunt maſculina, plurali neutra: ut ſibilus, ſibila: balteus, baltea.

Quædam ſingulari fœminina, plurali neutra: ut Carbaſus, carbaſa.

Quædam ſingulari neutra, plurali maſculina: ut Argos, Argi, Argorum.

DECLI-

DECLINATIONE INÆQUALIA.

Vas vaſis ſingulari numero eſt tertiæ declinationis: plurali ſecundæ: ut vaſa, vaſorum, vaſis.

Jugerum, jugeri contra, numero ſingulari, ſecundi eſt ordinis, plurali tertij, jugera, jugerum, jugeribus, interdum & jugeris genitivo ſingularis, & jugere ablativo legitur.

CASU INÆQUALIA.

Quædam non declinantur in caſus, ut frugi, nihili, pondo, quod numerum pluralem tantùm habet, cùm libram ſignificat: item quatuor, quinque, & cætera, uſque ad centum, quæ aptota ſive monoptota appellantur.

Quædam vocativo carent, cujuſmodi ſunt interrogativa, ut quis, qualis.

Relativa, ut qui, quæ, quod: Negativa, ut nemo, nullus: Partitiva pleraque, ut quidam, ullus, alius: Pronomina etiam præter tuus, meus, noſter, noſtras: fermè vocandi caſu deſtituuntur.

Quædam nominandi, interrogandi, & accuſandi caſum tantùm habent, ut tantundem, tantidem.

Quædam nominativum & vocativum, ut Jupiter, expes.

Quædam obliquos tantùm: ut Jovis, Jovi, Jovem, Jove.

Quædam tres solùm obliquos, opis, opem, ab ope.

Quædam duos, ut repetundarum, ab his repetundis.

Quædam unum, ut inficias, sponte, natu. Grammatici, multa anomala congerunt, quæ sine ulla jactura prætermitti possunt: maximè cùm multa contra eorum præcepta apud idoneos auctores leguntur.

DE VERBORUM PRÆTERITIS, & Supinis.

† ut lego, perlego

Simplicium leges ferme † conjuncta sequuntur.
Hinc pauca excipiam, memori qua mente repones.
Cùm geminat primam simplex, † composita priorem
Præteriti amittunt: præter præcurro, repugno.
Quæque sibi gignunt, do, sto, cum poscere disco.
Præteritis quæcunque carent, spoliato supinis.
Ut glisco, vergo, ferio, cum polleo vado,
Ambigo, cum satago, quæro, quibus hisco fatisco
Et furit, & mœret, tum aveo, tum ringor, & ajo.
Et vescor, liquor, medeor, reminiscor, adange.
Insuper à verbo seu nomine nata, tepesco,
Mitesco veluti, quorum de nomine lis est,
Aut certè capiunt à verbis unde trahuntur.
Adde quibus nomen vehemens meditatio fecit,
Esurit excepto, veterum monumenta revolve.

† ut tendo tetendi. extẽdo, extendi.

† ut cœnaturio, dicturio

PRI-

PRIMA CONJUGATIO.

teritum prima facit avi, atumque supinum. †ut eneco, avi, atum,& enecui, enectũ.
neco †. nam necui nectum, sibi pignora servant.
bui, domui, crepui, vetuique supina
in itum, ut cubitum: hæc tonui, sonuique sequuntur. †ut Cubo domo, crepo, veto tono, sono.
bo, cùm recipit, tantùm tibi tertia flectit.
in præteritis expungitur, atque supinis,
cat avi, atum † micui nil amplius optat. †ut Discumbo, discubui, discubitum.
cui, frictum: à secui deducito sectum.
vi, lotum, aut lautum, nec sperne lavatum.
ivo compositum, ceu diluo, tertia poscit.
um à poto seu potum flectito juvi,
vo tantùm, vel capies à prole supinum. †ut Mico, frico, seco, lavo
plicui, plicitum, † compostum poscit utrumque. †ut Explico, ut duplico
licat avi, atum genitumque ex nomine solum.
do compositum variabit tertia præter
venum, circum, pessumque satisque crearunt;
dedit atque datum: verùm didit omne ditumque †ut vendo, condo, venundo, circumdo, pessundo, satisdo.
git, ut vendo, trado, quod tertia flectit.
o flecte stiti, statum: stiti at inde profecta
ne stitum cupiunt, multò sed crebrius atum.

SECUNDA CONJUGATIO.

Litera præteritis ui: dat itumque supinis. †ut absorbeo, exsorbeo.
A *Ut moneo, taceo: gignit sed torreo tostum.*
beo cum † sociis dat ui, tamen absque supino.

A de-

A doceo doctum à teneo deducito tentum :
Censeo fert censum : mistum tibi misceo donat.
†uthor reo, e jaceo. *Quod dat ui,* neutrum, timeoque carento supinis.*
Poscit itum valeo, careo, placeoque doletque.
Et jaceo, caleo, noceo, cum pareo junges.
Dant di, sum, video, sedeo, cum prandeo, verùm.
† Strideo. *S geminat sessum : stridi nil postulat ultra.*
Mordeo præterito geminato, flecte momordi ,
Morsum : sic spondet, tondet sic pendeo flectes.
† Maneo. *Dat * mansi, mansum , minui , sed præminet optat.*
Prominet , immineo , simul eminet, absque supino.
Hæreo, dat si, sum cum suadet , mulcet, & ardet.
Tergeo, cum mulget, video, sed torqueo, tostum,
† Jubeo. *S* jussi, jussum geminat : indulgeo, si, tum.*
Urgeo si tantùm , cum fulget, turget, & alget.
Lugeo fert luxi, jam pridem quæro supinum.
Luceo duntaxat luxi, sic frigeo, frixi ,
Augeo præterito facit auxi , auctumque supino.
Evi, Etum, vieo, flet, net, cum doleo, quæque
* Fleo neo. *A pleo nascuntur, repleo , seu suppleo, complet,*
** Civi sume citum , quarta sed pignora redde.*
† Cieo. *Nunc oleo dat ui , dat itum sic pignora * patris*
† Ut oboleo. suboleo *Quæ servant sensum. Evi, Etum, fert cætera * proles*
† Oboleo. *Ast abolevit itum dat. Fert adolevit , adultum ,*
Ex veo, fit vi, tum moveo, foveoque fatentur.

A ca-

A caveo cautum, à faveo deducito fautum.
Ut neutrum tantum poscit, ceu flaveo, livet.
*Et paveo, fervet: * connivi, hoc postulat, & Xi.* * Conniveo.
Audeo nunc ausus, gavisus gaudeo poscit.
Et solitus, soleo, solui, tibi Chrispe placebat.

TERTIA CONJUGATIO.

Postulat inspicio, aut licio, quod desinit, exi, Eliceo.
Ectum, ut conspicio, allicio † tamen elicis optat *Faveo
*Elicui, elicitum, à * feci deducito factum:* *Jacio.
A jeci, jactum, dat fodi, ss duplice fossum. *Fodio
*Vult * fugi, fugitum: sapui, sapiive, nec ultra* †Fugio.
Progreditur sapio, cupio, ivi gignit & itum.
Dat capio cepi, captum, sed cœpio priscum
Fert cœpi, cœptum: à rapui deducito raptum. †Rapio. †Pario.
*Dat * peperi, partum, aut paritum: sint pignora quartæ.*
*Dant cussi, cussum, * Cutio finita, parente*
Uteris quassi, quassum si legeris usquam. †ut excutio. Discutio
Rite nu poscit ui, ac utum, sic diluo testis. *Quatio
A ruo, dic ruitum, sed utum dant pignora tantum † ut Diruo, obruo.
A struxi, structum, à fluxi deducito fluctum. † Struo, Eluo.
Congruo, nulla ruo, metuoque pluoque supina.
*Innuo * cum sociis, batuo, ingruo, respuo gignunt.* † ut renuo, innuo.
*o, dat bi, * dat itum: Scabo, lambo, carente supinis* †atbibo scribo.
scripsi scriptum, à nupsi deducito nuptum. † Ico, duce.
Ici fert ictum: à duxi depromito ductum.

A Parsi

A Parsi parsum, geminat quoque parco peperci.
† Dico. *Vinco cupit vici, victum, † dixi exige dictum:*
Sco, vi, tumque petit, ceu nosco, quiesco, suesco.
Dat gnitus agnosco, cognosco jungitur illi.
† Conquinisco. *Dat pasco pastum: † conquexi linque vetustis.*
Ut disco didici tantùm, sic posco, poposci.
Dispesco dat ui, pariter compescere solum.
Do, di, sum gignit, veluti defendere cudo.
N, tamen amittunt fundo, cum scindere findo.
† Retundo retusū. *S, geminat fissum, ac scissum, dat pandere passum*
Tundo petit tutudi, tunsum: sed pignora tusum,
Sume cado, cecidi, casum: cape cædo, cæcidi,
Cæsum: dat tentum, vel tensum, tendo, tetendi.
Pedo, pepedi, habet: pensum fert pendo, pependi:
Tum rudo, tum sido, tum strido carento supinis:
Dant si, sum, claudo, lædo, cum rodere, trudo.
Divido, cum plaudo, rado, cum ludere: vasi
† ut invado. *Ac vasum, à vado, capiunt sibi pignora tantùm:*
Cedo petit cessi, cessum facit inde supinum.
† Pago priscum est. *Dat Xi, ctum, Go, vel Guo, ut plango, extinguo supinis,*
N, tamen abjiciunt stringo, cum pingere fingo.
Tango cupit tetegi tactum: ego, ago poscit & actum,
†Impegi, compegi. *Sume † pago pepegi, pactum, cape pangere, panxi,*
Vel pegi, pactum, gaudent † composita secundo.

Da

Dat legi, lectum: fregi dat frangere, fractum.
Negligit, exi, ectum, cum intelligo, diligo, poscit
Prodigo cum dego, sugo, privato supinis.
Dat pungo, pupugi, punctum: dant † pignora fermè †ut expugno.
Punxi, vult, si. sum, spargo, cum mergere, tergo.
Dant xi, xum, figo, frigo: caret ango supinis,
A † traxi, tractum: à vexi, deducito vectum. †Traho veho.
Mejo facit minxi, minctum: nec plura require.
Lo † luit, atque litum: colo, cultum, consulo gignit
Consultum, occulit, occultum, ast alo poscit & altum.
*Ante * carent cello: praecello, excello supinis.* † Antecello.
Praeteritum duplex, perculsi, perculit optat
Percello, perculsum; haud plura require supina,
Dat pello, pepuli, pulsum: vult fallo, fefelli,
Falsum, à felli, vel fulsi deducito vulsum.
Sublatum tollo nunc tantum, ac sustulit optat.
Sallo fecit salli, salsum: dat psallere, psalli.
Malo, volo, nolo, cum psallo carento supinis. †ut demo.
Mo per ui, dat itum: tremo flectitur absq; supino. † Sumo * Pono.
Dant psi, ptum demo, promo, cum sumere como.
† Emi fert emptum: premo, pressi, ss duplice pressum.
*Dat posui, positum: * genitum, genuisse reposcit.* †Gigno

Dat

† Conticui, concentum.

Dat cecini, cantum, * cinui dant pignora centum
A ſino fit ſivi, atque ſitum: dat ſternere ſtravi,
Ac ſtratum: ſprevi, ſpretum, dat ſpernere: cerno

* Decrevi, Decretum.

Crevi ſed cretum capiunt ſibi * pignora ſolùm,
Dat tempſi, temptum, temno, ſi legeris uſquam.
Lini, vel livi, livive, litumque triſulcum

† Strepo rumpo.
† ut relinquo.
† Coquo.

Fert lino. Po, pſi, ptumq́ petit, ceu ſcalpere, carpo;
A ſtrepui ſtrepitum: à rupi deducito ruptum.
Linquo ſibi liqui, cupiunt ſibi pignora lictum.
Dat * coxi coctum: tero, trivi poſcit, & itum.
A gero fit geſſi, geſtum: dat curro, cucurri,
Curſum: quæſitum quæro, quæſivit habeto.

† Fero.

* Ferre, tuli, latumque: uro dabit uſſit, & uſtum.
Præteritum verri à verro eſt, verſumque ſupinum

† ut obſecro, circumfero.

A ſero fit ſevi, atque ſatum: vi ruſtica * proles
Fert & itum: dat ui ertum, aliena à rure propago.
* So, ſivi, ſitumque petit: dat viſere, viſi,

† Ut exero, defero.

Ac viſum: inceſſo inceſſi tamen abſque ſupino.
Pinſitus ac piſtus, pinſuſque à pinſuit exit.

† Ut capeſſo faceſſo

Xi, xum, dant plecto, cum flecto, nectere, pecto:
Dant quoque pecto xui, nectoque peto ivit & itum.
Stertuit à ſterto tantùm: meto meſſuit optat:
Ac meſſum, ſſ gemino: miſi dat mitto ſupinum

† Verto

S, duplici miſſum: à * verti deducito verſum:

Siſto

** Sisto, stiti, statum, activum neutrale sequetur,* † ut consisto, insto.
Sto verbum, unde stiti atque stitum sibi pignora sument.
** A vixi victum, à volvi deflecto volutum.* † Vivo, volvo.
Texui amat texto, ac textum: solvique solutum.

DE PRÆTERITIS ET SUPINIS quartæ Conjugationis.

IVi, itum, ut polio, fastidio, quarta requirit.
Fert veni, ventum, venio: sepelire, sepultum. † Sepelio, Singultio, amicio. Pario, comperio, Reperio.
Singultum singulti amat: dat amixit, amictum.
Ex pario natum per vi flectatur, & ertum.
Comperio, reperitque petit Ri poscit & ertum.
Sancio dat sanxi, sanctum simul optat & itum.
Sentio vult si, sum, sepsi dat sepio, septum.
Hausi dat haustum: dat vinxi, vincio, vinctum. Haurio.
Farcio dat farci, farsum: vult fulcio fulsi.
Ac fulsum: sarsi, sartum, dat sarcio verbum.
Veneo fert venum, quod fermè veniit optat.
Dat salui, saltum: proles sibi vendicat ultum. Salio, Insilio.

DE PRÆTERITIS ET SUPINIS verborum Deponentium.

EX or finitis activam fingito vocem,
Ut vereor, veritum fluet inde supinum.
Præteritumque simul veritus sum, cætera fingi
Hac ratione queunt, pauca excipienda memento.
A reor esto ratus: nanciscor nactus habeto,
Orsus ab ordiri deducitur: usus ab utor.

Vult fateor fassus: proficiscor sume profectus,
Metiri mensus gignit, pactusque paciscor:
Cumq; miniscor amat comentum: adipiscor adeptum
Ultus ab ulciscor venit: expergiscor habebit
Experrectus: oblitum at obliviscor adoptat:
Dat labor lapsus: misereri funde misertus.
Fert usus loquor atque sequor: queror accipe questus.
Redde fruor fruitus: morior tibi mortuus hæret:
Nascor amat natus: tandem fert ortus oriri,
In tribus extremis per iturus flecte futurum.
Dat patior, passum, invisum mortalibus ægris.



SYNTAXEOS FACILIORA PRÆCEPTA.

QUID SIT SYNTAXIS.

SYntaxis Græcè, Latinè constructio, est recta partium orationis inter se compositio. Hæc duplex est: altera transitiva, cùm partes nimirum orationis in casum dissimilem præcedenti transeunt. Cic. ad Att. lib. 2. *Pompejus amat nos, charosque habet.* Altera intransitiva, cùm orationis partes, aut nullum post se casum habent. Idem ad Q. F. lib. 3. *Valent pueri, studiosè discunt, diligenter docentur,* aut certè non diversum ab eo qui antecessit. Idem Phil. 3. *Pax est tranquilla libertas.*

DE

DE CONSTRUCTIONE intransitiva.

VErbum personale finiti modi, antecedit Nominativus apertè vel occultè, ejusdem numeri & personæ. Cic. lib. 14 *Si vales, benè est, ego quidem valeo.*

Verbum personale infiniti modi, postulat ante se accusandi casum. Terent. in Adel. *Salvum te advenire gaudemus.*

DE ADJECTIVIS & Substantivis.

NOmina adjectiva, pronomina & participia, cohærent cum suis Substantivis genere, numero & casu. Cic. in Ter. *Erat hyems summa, tempestas perfrigida, imber maximus,* Terent. in Eunuch. *Ille bonus vir nusquam apparet.* Curt. lib. 6. *Parva sapè scintilla contemptâ magnum excitavit incendium.*

RELATIVA.

REelativum Qui, Quæ, Quod, concordat cum antecedente, in genere, & numero. Cic. ad Tit. lib. 6. *Nemo nos amat, qui te non diligat.*

Relativum Qui, Quæ, Quod, si inter duo substantiva ponatur, cum alterutro consentire poterit, etiamsi alterum proprium sit.

Sal. Cat. *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, qui Phaëton dicitur.*

SUBSTANTIVA CONTINUATA.

Substantiva continuata, quæ ad eandem rem spectant, casu concordant, quamvis genere & numero aliquando dissentiant, ut: *Marc. Tull. C. Publio Lentulo proconsuli, salutem plurimam dicit.* Plin. lib. 1. epist. ad Caninium: *Quid agit Comum tuæ meæque deliciæ.*

Continuata Substantiva dicuntur, quæ nulla conjunctione sunt vincta.

UTRINQUE NOMINANDI CASUS.

Omne verbum personale finiti modi, utrinque Nominativum habere potest, cùm utrumque nomen ad eandem rem pertinet, cujusmodi maximè est Verbum Substantivum, Vocativum, & alia quàm plurima. Terent. in Phor. *Senectus ipsa est morbus.* Saluft. Cat. *Virtus clara æternaque habetur.* Cic. in Plin. 2. *Defendi Rempubl. adolescens, non deseram senex.*

NOMINATIVUS POST VERBUM Infinitum.

Verbum personale infiniti modi, post se Nominativum petit, cùm res ad Nominativum præcedentis verbi pertinet. Cic. de nat. Deorum. *Nolo esse longior.* Idem pro Mar. *Malui videri nimis timidus quàm parum prudens.*

Rem pertinere ad Nominativum præcedentis verbi interrogatione cognoscimus. Exempli causa: *Cæsar cupit esse Rex: Quis cupit esse Rex? Cæsar.*

INTERROGATIONIS ET RESPONSIONIS consensus.

INterrogatio & Responsio casu consentiunt, ut: *Cui præceptori dedisti operam? Platoni. Cujus hæc est oratio? Ciceronis.*

DE CONSTRUCTIONE TRANSITIVA Nominis.

QUotiescunque duo nomina Substantiva rerum diversarum in oratione continuantur, alterum erit genitivi casus. Cic. in Pison. *Supplicium est pœna peccati.* Idem ad Cæli. *Mirum me desiderium tenet urbis;* Id. de amic. *Maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.*

Adjectiva cùm substantivè ponuntur, more Substantivorum construuntur. Cicero de sent. *Tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.* Idem ad Forianum, *Præsertim cùm omnium rerum mors sit extremum.* Hujus classis sunt: *Multum, plus plurimum, tantum, quantum, minus, minimum, summum, extremum, ultimum, postremum.*

Substantiva cùm ad laudem vel vituperationem referuntur, genitivo vel ablativo gaudent: Cicero ad Marcell. *Neque te monere audeo præstanti prudentia virum, neque confirmare maximi animi hominem.*

Adjectiva, quæ scientiam, communionem, copiam, & his contraria significant, cum Genitivo junguntur, ut: *Peritus, ignarus, particeps, expers, plenus, inanis.* Cicer. in Br. *Fabius pictor, & ju-*

ris & literarum & antiquitatis benè peritus fuit: Id. lib. 5. de Fin. *Virtutes ita copulatæ, connexæque sunt, ut omnes omnium participes sint:* Idem ad Papit. lib. 9. *Stultorum plena sunt omnia.*

Partitiva Genitivo multitudinis gaudent. Cic. lib. 1. de Nat. Deor. *Elephanto belluarum nulla est prudentior.* Idem de Senect. *Minus habeo virium quam vestrum utervis.*

Partitivum nomen est quod significat multa sigillatim, ut: *Quisquis unusquisque, uterque, neuter,* vel unum ex multis: ut *alter, alius.* Partitiva sunt: *Alius, aliquis, alter, alteruter, nemo, neuter, nullus, quis, quicunque, quidam, quilibet, quisquis, quivis, quispiam, quisquam, quisque, solus, ullus, unusquisque, uter, uterque, utercunque, uterlibet, utervis.*

SUPERLATIVA.

SI multa ejusdem generis comparentur, utendum est Superlativo cum Genitivo plurali. Cic. 5. Tusc. *Theophrastus elegantissimus omnium Philosophorum, & eruditissimus non magnopere reprehenditur, cùm tria genera dicit bonorum.* Plin. lib. 35. c. 1. *Demosthenes summus oratorum Græciæ.*

GENITIVUS VEL DATIVUS post Nomen.

NOmina quæ similitudinem aut dissimilitudinem significant, interrogandi, vel dandi casum exigunt. Cic. 5. de Fin. *Non video cur non potuerit patri similis esse filius.* Idem de claris orat. *Nihil tam dissimile, quàm Cotta Sulpitio.*

DATI-

DATIVUS POST NOMEN.

NOmina quibus commodum, voluptas, gratia, favor, æqualitas, fidelitas & his contraria significantur, Dativum poſcunt, ut: *Conſul ſalutaris, pernitioſus Reip. jucundus, moleſtus, gratus, inviſus, propitius, infeſtus civibus, Fidus, infidus imperio. Par, impar tanto oneri.* Cic. ad Cecin. lib. 6. ep. *Erat meum conſilium, cum fidele Pompeio, tum ſalutare utrique.*

ACCUSATIVUS VEL ABLATIVUS poſt Nomen.

ADjectiva, quibus generalis dimenſio ſignificatur, Accuſativum vel Ablativum caſum poſtulant, qui certam menſuram ſignificat. Liv. *Foſſam ſex cubitis altam, duodecim latam cùm duxiſſet, extra duplex vallum foſſa circumcidit.* Columella lib. 5 cap. 3. *Eſt ager longus pedes mille & ducentos, latus pedes centum viginti.* Generalem menſuram ſignificant, *Longus, latus, altus, profundus, craſſus.* Certum verò: *Digitus, uncia, palmus, dodrans, pes, cubitum, ulna, paſſus, ſtadium, milliare, ſive milliarium.*

ABLATIVUS POST NOMEN.

EXtorris, nudus, dignus, contentus, inanis.
Atque refertus, inops, locuples, alienus, onuſtus.
Immunis, plenus, caſſus, diveſque potenſque.
Tum fretus, vacuus, tum captus, præditus orbus,
Indignus, liber, viduus ſibi jure Latinum.

Assumunt casum: ut summo vir dignus honore.

OPUS.

Opus nomen adjectivum, accedente verbo substantivo, ablativum postulat. Ter. in And. *Nihil isthac opus est arte ad hanc rem quam paro.* Cic. ad Att. lib. 12. *Ad Terentiam, gratia opus est nobis, & tua authoritate.*

Adverbia diversitatis & numerabilia ordinis, ablativum cum præpositione à, vel ab, admittunt. Cic. 4. Acad. *Certa cum illo, qui à te totus diversus est.* Idem ad Att. lib. 6. *Navigationis labor alienus ab nostra ætate est.*

COMPARATIVA.

Comparativo utimur cum Ablativo, quando vel plura diversi generis comparantur. Cicer. ad Cat. *Luce sunt nobis clariora tua consilia.* Cur. lib. 9. *Majora sunt præmiis pericula.* Vel cùm duo ejusdem aut diversi generis conferuntur. Cicer. ad Octa. *Quæ non posterior dies acerbior priore, & quæ non insequens hora, antecedente calamitosior pop. Rom. illuxit? Virtus multo pretiosior est auro.*

Præter suum casum admittunt comparativa ablativum significantem excessum. Cur. lib. 5. *Turres denis pedibus quàm muri altiores sunt.*

Item hos ablativos opinione, spe, æquo, justo, solito, dicto. Cic. declar. Orat. *Opinione ego omnium majorem cepi dolorem.* Liv. *Dicto propè citius equum in viam Claudius egit.*

DE CONSTRUCTIONE Transitiva verbi.

GENITIVUS POST VERBUM.

SUm genitivum petit, cùm possessionem significat. Cic. ad Cæl. l. 2. ep. *Jam me Pompeij totum esse scis.* Aut ad aliquid pertinere: idem in M. Antiph. 12. *Cujusvis hominis errare, nullius, nisi insipientis, perseverare in errore.* Cic. de offic. lib. 1. *Adolescentis est majores natu vereri.*

Misereor, satago genitivum sibi adsciscunt, Cic. lib. 4. ad Att. *Qui miserere mei debent, non desinunt invidere.* Ter. in Heaut. *Clinia rerum suarum satagit.*

Obliviscor, recordor, reminiscor, memini, pro recordor, tum Genitivum, tum Accusativum postulant. Cic. Tusc. *Est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.* Idem in M. Antip. 8. *Omnia obliviscor, in gratiam redeo.* Ter. Eunuch. *Faciam ut mei semper memineris.* Cic. de Sen. *Omnia quæ curant senes meminerunt.*

DATIVUS POST VERBUM.

SUm modò Dativum unum habet. Cicer. ad Att. l. 1. *Sed nunciant melius esse ei.* Ter. Adel. *Natura tu illi pater es, consiliis ego:* modò duos Cic. ad Att. lib. 3. *Respondebo primum postremæ tuæ paginæ, quæ mihi magnæ molestiæ fuit.*

Sum variè cum Dativo construitur: modò enim pro habere ponitur, ut: *Sunt mihi omnia scripta Ciceronis. Summa mihi tecum necessitudo est:* modò cum duobus Dativis junctum exponitur per verbum Afficio, seu Affero. *Epistola tua fuit mihi magnæ molestiæ. Et parentibus honori, & ami-*

cis utilitati, & reipublicæ emolumento esse poteris.

Dativum etiam verbi Sum, pro Nominativo ponitur. Cic. 3. de div. *Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod nuper contigit.*

Verba quæ auxilium, adulationem, communionem, commodum, incommodum, favorem, studium significant, dandi casum postulant, ut: *Auxilio, adulor, commodo, incommodo. Faveo tibi, studeo Philosophiæ.* Cic. Ver. lib. 6. *Homini jam perdito, & collum in laqueum inserenti subvenisti.* Cicero de orat. lib. 2. *Cum ita Balbus esset Demosthenes, ut ejus ipsius artis cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur.*

Auxilium *significant, Auxilior, opitulor, subvenio, succurro.*

Adulationem, *Adulor, assentior, blandior.*

Commodum, *Consulo pro prospicio, provideo, prospicio, timeo.*

Incommodum, *Doleo, incommodo, detraho, impono, irascor, illudo.*

Favorem, *Faveo, studeo, arrideo, assentio, vel assentior.*

Studium, *Studeo, vaco.* Singulorum exempla frequentissimè occurrent.

Dativo item adhærent composita ex verbo Sum, & quæ obsequium, obedientiam, submissionem, repugnantiam significant, ut: *Prosum, obsequor, obtempero, servio, repugno tibi.* Cicero lib. 2. de Offic. *Contemnuntur ii, qui nec sibi, nec alteri prosunt (ut dicitur) in quibus nullus labor, nulla industria*

ſtria nulla cura eſt. Idem pro Syll. *Ego verò quibus ornamentis adverſor tuis ? aut cui dignitati veſtræ repugno ?*

Compoſita ex verbo ſubſtantivo Sum : *adſum, deſum, inſum, interſum, obſum, præſum, proſum, ſubſum, ſuperſum.*


Obſequium ſignificant, *Inſervio, indulgeo, morigeror, obſecundo, obſequor, placeo, ſatisfacio.* Obedientiam : *auſculto, obedio, obtempero, pareo.* Submiſſionem : *ancillor, famulor, ſervio, credo.* Repugnantiam : *adverſor, obſto, obſtrepo, reluctor, repugno, reſiſto, reclamo, refragor.*

ABLATIVUS POST VERBUM.

SUm Ablativum petit, ſignificantem laudem vel vituperationem. Cic. Lent. lib. 1. ep. *Tu fac animo forti magnoque ſis.* Idem poſt red. ad Quir. *Bona valetudo jucundior eſt eis; qui è gravi morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt.* Idem contra Rull. *Quem veſtrum tam tardo ingenio fore putavit?* Idem in Bruto. *Summo iſto quidem ingenio dicitur fuiſſe.*

Interdum etiam Genitivum habet, cùm laus vel vituperatio ſignificatur. Cic. poſt Seſt. *Nimium me timidum, nullius animi nullius conſilij fuiſſe confiteor.* Idem ad Octav. *Antonius vir maximi animi, utinam etiam ſapientis conſilij fuiſſet?* Plin. lib. 1. p. *Erat puer acris ingenij, ſed ambigui.*

His egeo, indigeo, careo, vaco, victito, veſcor,
Vivo, ſuperſedeo, potior, delector, abundo,
Mano, redundo, fluo, ſcateo, fruor, atque laboro.



Glo-

Glorior, oblector, lætor, quibus addito nitor.
Consto, pluit, valeo, possum, sto, fungor & utor.
Quem Graji ignorant casum, tribuêre Latini.
Cic. in Q. Frat. lib. 3. *Incredibile est, mi frater, quàm egeam tempore.*

Hæc tria tamen: *Egeo, indigeo, potior*, etiam casum interrogandi admittunt. Cic. Att lib. 7. *Egeo consilij, quod optimum factu videbitur facies.*

DE CONSTRUCTIONE
Verbi Activi.

VErbum activum, vel potiùs accusativum verbum, cujuscumque id demum positionis sit, post se accusandi casum postulat, ut: *Deum cole, Imitare Divos, Amplectere virtutem, Novi animi tui moderationem.*

GENITIVUS PRÆTER
Accusativum.

VErba accusandi, absolvendi, damnandi, potissimum accuso, accerso, & arcesso, arguo, alligo, astringo, coarguo, defero, incuso, infamo, insimulo, postulo, absolvo, damno, condemno, conniveo, præter accusativum genitivum admittunt, qui pœnam criménve certum aut incertum significat. Cic. pro Rab. *An non intelligis primùm quos homines, & quales viros mortuos summi sceleris arguas?* Ter. Eunuch. *Hic furti se alligat.*

Absolvo, libero, alligo, astringo, mulcto, obli-

obligo, obstringo, quemadmodum suapte natura ablativum petunt, ita & ablativum significantem pœnam, criminéve, sine præpositione admittunt. Liv. dec. 1. l. 1. *Ego me, etsi peccato absolvo, supplicio non libero.* Cic. de orat. lib. 1. *Vitia hominum, atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mulctantur.*

Miseret, miserescit, piget, pœnitet, pudet, tædet, Genitivum habent cum Accusativo. Plaut. *Miseret te aliorum, tui te nec miseret, nec pudet.* Ter. Heaut. *Inopia te nunc miserescat mei.* Cic. pro Plan *Vide quàm me verbi tui pœniteat.*

Eandem constructionem admittunt admoneo, commoneo, commonefacio. Quint. lib. 4, cap. 5. *Grammaticos sui officij commonemus.*

Verba æstimandi, præsertim æstimo, duco, facio, habeo, pendo, puto, præter Accusativum hos ferè Genitivos assumunt, magni, maximi, pluris, plurimi, parvi minoris, minimi, tanti, tantidem, quanti, quanticunque. Cic. Att. lib. 2. *Facio pluris omnium hominum neminem.* Terent. And. *Merito te semper maximi feci Chreme.* Idem Heaut. *Tu illum nunquam ostendisti quanti penderes.* Cic. 2. de fin *Magni æstimabat pecuniam.*

Genitivi *flocci, pili, assis, teruntij, nihili,* cum verbo *facio* junguntur. Cic. de fin. lib 2 *Eum nihili facit.* Dicimus etiam: *Tuas minas hujus non facio, flocci tuas fortunas pendo, duco, divitias omnes pro virtute. Non nihil bonam valetudinem æstimo.*

DA-

DATIVUS CUM ACCUSATIVO.

VErba dandi, reddendi, committendi, promittendi, declarandi, anteponendi, postponendi, præter Accusativum, Dativum exigunt. Cic. pro Planco. *Salutem ijdem tibi dare possunt, qui mihi reddiderunt.* Ter. And. *Facile omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus.*

Dandi verba sunt: *Do, dedo, tribuo, largior, concedo, ministro, suppedito, commodo, præbeo, exhibeo, impendo.* Reddendi: *Reddo, restituo, refero, remunero, rependo, remetior, solvo.* Committendi: *Committo, mando, commendo, trado, credo.* Promittendi: *Promitto, polliceor, respondeo.* Declarandi: *Aperio, declaro, expono, explico, significo, indico, demonstro, ostendo, dico, narro, loquor.* Anteponendi: *Antepono, antefero, præpono, præfero.*

GEMINUS ACCUSATIVUS post Verbum.

MOneo, doceo, cum compositis. Item flagito, efflagito, posco, reposco, rogo, interrogo, celo: duos accusandi casus admittunt. Cic. ad Att. lib. 14. *Idipsum quod me mones, quatriduo antè ad eum scripseram* Idem ad eundem lib. 6. *Illud me præclarè admones.*

ABLATIVUS PRÆTER Accusativum.

INduo, insterno, vestio, exuo, calceo cingo, & his similia, Ablativum præter Accusativum sibi adsciscunt. Cic. de nat. Deorum, lib. 1. *Oculos natura membranis tenuissimis vestivit, & sepsit*

sit. Idem ibidem lib. 3. *Diligentius urbem religione, quàm ipsis mœnibus cingitis.*

ABLATIVUS CUM PRÆPOSITIONE à vel ab præter Accusativum.

Verba petendi, percontandi, præter Accusativum ferè Ablativum cum præpositione à vel ab postulant, ut: *Posco, reposco, flagito, efflagito postulo, deprecor, peto, contendo, exigo.* Cic. Ver. lib. 1. *Nihil est quod minus ferendum sit, quàm rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere.* Idem Figulo: *Quid acta vita, quid studia à te flagitent, videbis.*

VERBUM PASSIVUM.

Verbum passivum, Ablativum cum præpositione à vel ab postulat post se, qui ex nominativo verbi activi fit.

Cic. de Nat. Deor. lib. 1. *Nihil est virtute amabilius, quam qui adeptus est, ubicumque erit gentium, à nobis diligetur.* Idem ad Att. lib. 3. *An tu existimas ab ullo malle me legi, probarique quàm à te.*

Vapulo, venæo, fio, ut passionem significant, ita passivorum more construuntur, ut: *Malo à parentibus vapulare, quàm assentatoribus aures patefacere.* Cic. ad Ter. lib. 16. ep. *Quantum diligentiæ in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te judicabo.* Quin. lib. 11. c. 1. *Fabritius respondit, à cive se spoliari malle, quàm ab hoste venire.*

COMMUNES OMNIUM VERBORUM Constructiones.

GENI-

GENITIVUS COMMUNIS.

PRopria pagorum, castellorum, urbium, primæ & secundæ declinationis, ponuntur in Genitivo post quodvis verbum, si interrogatio fiat per adverbium ubi. Cic. ad Att. lib. 4. *Ignatius Romæ est.* Idem ad Q. F. lib. 2. *Accepi literas tuas datas Placentiæ.*

Propria sequuntur appellativa quatuor. Humi, belli, militiæ, domi, quorum postremò adjungi possunt adjectiva: Meæ, tuæ, suæ, nostræ, vestræ, alienæ, Cic. 15. Tusc. *Theodori nihil refert, humine, an sublime putrescat.* Sal. Cat. *Domi militiaque boni mores colebantur.* Cic. ad Marc. lib. 4. *Nonne mavis sine periculo domi tuæ esse, quàm cum periculo alienæ.*

Si propria fuerint tertiæ declinationis, vel pluralis numeri, sexto casu utendùm est. Cic. divinit. *Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus.* Idem ad Att. lib. 16. *Malo cum timore domi esse, quàm sine timore Athenis tuis.* Idem ad eundem l 9. *Lentulum nostrum scis Puteolis esse.*

Si per adverbium Quò fiat interrogatio, accusandi casu efferuntur, cujuscunque sint declinationis ac numeri, ut: *Quò is, Romam, Brundusium, Carthaginem, Athenas, Delphos, Gades, Rus, Domum.* Cic. Att. lib. 14. *Epistolas Catinam, Tauromìnum, Syracusas commodius mittere potero.* Ter. Heaut. *Domum revertor mœstus.* Idem Eunuch. *Rus ibo.* Cic. pro Archia. *Eum domum suam receperunt.* Liv. lib. 5. bell. Mac. *Athenas primùm, inde Calcidem, inde Thessaliam iêre.*

Si per Unde aut Qua fiat interrogatio, Ablativo utemur, ut: *Unde redis; Româ, Cathagine, Athenis Delpis, Gadibus, Rure, Domo. Qua iter fecisti; Româ, Brundusio*, Cic. Att. *Accepi Româ sine tua Epistola fasciculum litterarum.*

Nomina insularum, regionum, provinciarum, cæterorum denique locorum, præpositionem ferè desiderant. Cic. in Verr. *Ex Sicilia in Africam gradus imperij factus est Romanis.*

DATIVUS COMMUNIS.

QUodvis verbum admittit Dativum ejus personæ, in cujus gratiam, commodum vel incommodum aliquid fit. Plautus Milit. *Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.* Liv. *Magno illi cunctatio stetit.*

ACCUSATIVUS COMMUNIS temporis.

TEmpus Accusativo vel Ablativo effertur si per quamdiu fiat interrogatio, ut: *Quamdiu regnavit Romulus? Septem & triginta annis*, Liv. *Romulus septem & triginta regnavit annos* Suet. *Vixit annis viginti novem, imperavit triennio & decem mensibus, diebus octo.*

Si vero per quando fiat interrogatio, Ablativo utemur, ut: *Quando datum est tibi hoc negotium? Anno superiore.* Idem 5. Tusc. *Heroicis etiam ætatibus Ulyssem, & Nestorem accepimus, fuisse, & habitos sapientes.*

ACCUSATIVUS COMMUNIS ſpatij.

QUivis verbo apponi poteſt Accuſativus, qui diſtantiam loci ſignificat. Cic. ad Tit. *Is locus eſt citrà Leucadem ſtadia viginti*, Idem Att. *Cubitum nullum aſſiduo curſu proceſſit.* Idem pro Dejot. *Negat ſe à te pedem diſceſſiſſe.* Liv. *Mille & ducentos paſſus ibi latitudo patet.* Interdum Ablativo utuntur ſcriptores, Cæſar. *Eo die caſtra promovit, & millibus paſſuum ſex, à Cæſaris caſtris ſub monte conſedit.*

ABLATIVUS INSTRUMENTI, MODI, Cauſæ & modi actionis.

QUævis verba Ablativum admittunt ſignificantem inſtrumentum. Terent. Adelph. *Hiſce oculis egomet vidi.* Idem Ver. *Sex lictores circumſiſtunt valentiſſimi, cadunt acerrimè virgis.*

Aut cauſam propter quam aliquid fit. Cicer. ad Q. Fr. *Veſtra culpa hæc acciderunt.* Idem in Brutio, *Vereor nè amore videar plura, quàm fuerint in illo, dicere.* Terent. Adelph. *Dolore ac miſeria tabeſcit.*

Aut modum quo aliquid fit. Cic. pro Milon. *Sapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo.* Idem pro Flacco *Pacem maritimam ſumma virtute, atque incredibili celeritate confecit.*

Modum actionis interrogatione cognoſcimus Quomodo, ut: *Quomodo tulit injuriam? æquo, iniquo animo.*

ABLATIVUS EXCESSUS.

Cuivis verbo adjungi potest Ablativus rei qua excessus significatur, Cicero de claris Oratoribus. *P. Scipio omnes sale, facetiisque superabat.* Idem Orator. *Lepore & humanitate omnibus præstitit Socrates.*

ABLATIVUS PRETII.

Quælibet verba Ablativum admittunt significantem pretium, ut: *Senatus tritici modium tribus denariis æstimavit. Magno has ædes ædificavi.* Plin. *Viginti talentis unam Orationem Isocrates vendidit.* Livius. *Multorum sanguine & vulneribus ea pœnis victoria stetit.*

Verba quæ pretium significant, admittunt genitivos tanti, tantidem, quanti, quanticunque pluris, minoris. Cicero de Offic. *Emit homo cupidus tanti, quanti voluit.* Idem ibidem *Vendo meum non pluris, quàm cæteri, fortassè etiam minoris.* Idem in Verrem. *Quanti frumentum sit, considera, video esse binis Sestertiis.* Seneca. *Tantidem redemi patrem, quanti à te redemptus sum.*

Genitivi Tanti, Quanti, Quanticunque, Minoris, in ablativum transeunt, si addantur substantiva. Liv. *Hic miles magis placuit, cum pretio minori redimendi captivos copia fieret.*

CONSTRUCTIO VERBI Infiniti.

Verba infinita eosdem post se casus postulant, quos finita, Cic. Tiron. *Malo te paulò post, quàm statim imbecillum videre.*

INFINITA CUM QUIBUS VERBIS copulentur.

VErbis cœpi, soleo, debeo, cupio, adduntur infinita, multisque alijs, maximè ijs, quibus voluntas explicari solet. Cic. pro Rosc. *qui mentiri solet, pejerare consuevit.* idem Tit. *Omnes cupimus, ego imprimis, quam primum te videre.*

DE GERUNDIIS ACTIVIS.

GErundia, quæ passionem non significant, casus suorum verborum admittunt, ut: *Tempus obliviscendi injuriarum, ignoscendi inimicis, coercendi cupiditates, abstinendi maledictis.*

GERUNDIA IN DI.

Gerundijs in di, adduntur substantiva, tempus causa studium, finis, & cætera ejusdem generis. Cic. de senectute. *Equidem efferor studio patres nostros, quos colui & dilexi, videndi.* Idem Att. *Sit jam aut finis omninò deplorandi, aut moderatio.*

Item nonnulla Adjectiva, ut: *Peritus, imperitus, cupidus, insuetus navigandi, ignarus dicendi.* Cic. de Orat. *Sum cupidus te audiendi.*

IN DUM.

Gerundiis in dum præponuntur præpositiones, ab, ob, inter, Cic. 5. Tusc. *Conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum.* Liv. *Ipse inter spoliandum corpus hostis veruto percussus, inter primam curationem expiravit.*

IN DO.

Gerundia in do, modò sine præpositione in oratione adhibentur. Cic. *Plorando defessus sum.* modò præpositiones, maximè à, ab, in, assumunt. Idem 3. Tusc. *Ab invidendo autem rectè invidentia dicta.* Idem Curion. *Etenim quis est tam inscribendo impiger, quàm ego;* Idem. *Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sanè velim.*

Nonnunquam è vel ex, cum, pro, Plaud. *Heus senex, pro vapulando hercle te mercedem petam.*

Quint. *Scribendi ratio conjuncta cum loquendo est.*

GERUNDIA PASSIVA.

Gerundia, quæ passionem significant, nullum post se casum admittunt. Quint. *Memoria excolendo, sicut alia omnia augetur,* Plin. *Rubens ferrum non est habile tundendo.*

SUPINA IN UM.

Supina in Um, amant verba, quæ motum adsignificant. Terent. Phor. *Percunctatum ibo.* Idem Heaut. *Abi deambulatum.* Liv. *Cariolanus damnatus absens in volscos exultatum abijt.*

Ante se nullum, post se suorum verborum casus habent. Cæsar. *Legatos ad Cesarem mittunt rogatum auxilium.* Ter. Phor. *Me ultrò accusatum advenit.* Idem Eunuch. *Nutricem accersitum ijt.*

Supina in Um cum passionem significant, nullum post se casum desiderant, ut *Vapulatum, venum, exulatum.*

SUPINA IN U.

Supina in U, ferè passivæ significationis sunt sine casu, adhærentque nominibus adjectivis, Cic. Att. *quod optimum factu videbitur, facies.* Idem in Ant. *O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu.*

DE PARTICIPIIS.

PArticipia eosdem casus habent, quos verba, à quibus proficiscuntur. *Pueri victoriam reportaturi non delectantur duodecim scruporum ludo.* Livius. *Ancus ingenti prædâ potius Romam rediit.* Cicero Lentulo. *Totus nunc est, ab ijs, à quibus tuendus fuerat derelictus.*

Participia in ans, ens, interrogandi casû gaudent cum fiunt nomina, Terent. Phor. *Herus liberalis est, & fugitans litium.* Cic. Att. *Boni cives amantes patriæ.* Salust. *Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris, suprà quam cuiquam credibile est.* Cic. ad Quint. Frat. *Fert graviter homo. & mei amantissimus & suæ dignitatis retinens, se apud te neque amicitia, neque jure valuisse.*

Nonnulla etiam præteriti temporis eodem casu gaudent, ut: *Consultus doctus.* Cic. in Ant. *neque enim ille magis juris consultus, quàm justitiæ fuit.* Horat. *Dictus sermonis utriusque linguæ.*

Participia præsentis præteritiq; temporis cùm nominum naturam induunt, more eorum comparantur. Cic. Tit. *Cùm commodè & per valetudinem, & per anni tempus navigare poteris, ad nos amantissimos tui veni.* Idem ad Att. *Nihil ille regno spoliatiùs, nihil rege egentiùs.*

PRÆ-

PRÆPOSITIONUM Constructio.

VErba absoluta & intransitiva, Præpositionum beneficio in casus transeunt. Cicero lib. 2. de Orat. *Cum etiam tum in lecto Crassus esset, & apud eum Sulpitius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repentè eò Q. Catulus senex cum Julio fratre venit.*

CASUS PRÆPOSITIONUM.

ACcusativo serviunt. *Ad, apud antè adversus*, vel *adversùm cis, citrà, circiter, circà, circùm, contrà, ergà, intrà, inter, infrà, juxtà, ob, penes, per, ponè, post, propè, propter, præter, secundum, suprà, secus, trans, ultrà, versus, usque.*
Cic. in Bruto: *In pratulo prope Platonis statuam consedimus.* Idem Att. *Secundùm te nihil est mihi amicius solitudine.*

Versus suo casui postponitur. Cic. Att. *Verti me à Miturnis Arpinum versus.* Sulp. Cic. *Ex Asia rediens, cùm ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circum circà prospicere.*

Ablativo gaudent. *à, ab, abs, absque, cum, coram, clam, de, è, ex, pro, præ, procul, palàm, sine.* Cic. in Pis. *Mihi verò ipsi coram genero meo, propinquo tuo, quæ dicere ausus es?* Idem Att. *Paulò clam ijs eam vidi.* Ter. Heaut. *Præ iracundia Menedime non sum apud me.* Livius. *Rem creditori palam populo solvit.* Idem. *Haud procul occasu solis redeundi castra tempus erat.*

Tenus, quemadmodum Versus, suo casui postponitur, atque fere partium &c. fam deside-

derat, si nomen sit multitudinis. Cæl. Cic. *Rumores illi in comitiis Cumarum tenus caluerunt*. Singulare sit nomen, ablativo gaudens, Liv. *Adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superat.*

IN, SUB, SUPER.

IN, sub, super, modo accusativum, modò Ablativum, pro varia significatione postulant. In cum verbis motus, Accusativum amat. Ci. in Cat. *Egredere ex urbe Catilina, in exilium proficiscere.* Cum verò quies; aut aliquid fieri in loco significatur, gaudet, ut: *Sum in templo, deambulo in foro.* Idem ad Att. *Insolitudine careo omni colloquio.*

SUB.

SUB, ferè accusandi casum postulant, pro, circiter, per, paulò, ante denique cùm tempus adsignificat, ut: *Sub vesperum, sub noctem, sub lucis ortum, sub idem tempus hac gesta sunt.* Cæsar. *Pompejus sub noctem naves solvit.* Livius, *Sub Equestris finem certaminis coorta est peditum pugna.*

Sub cum verbis quietis Ablativum petit, ut: *Consedimus sub umbra Platani, Sub nomine pacis bellum latet.*

SUPER.

SUper Accusativo servit, cùm præpositioni supter contraria est maximè cùm motus significatur, ut: *Sedeo super saxum. Tegula cecidit super caput.* Ablativo adjungitur, cùm pro deponitur. Cic. Att. *Hac super rescribam ad te rhegio.*

Inter-

Interdum etiam Ablativo adjungitur, cùm verbo quietis, maxime apud Poëtas. Virg. Eccl. 1. *Hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte, fronde super viridi.*

SUBTER.

SUbter fermè accusandi casum poscit, sivè quietis, sivè motis verbis adjungatur. Cicero 2. Tusc. *Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit.*

Apud Poëtas tamen aliquando cùm ablativo reperies. Virg. l. 9. *Cùm tamen omnes ferre libet, subter densa testudine casus.*

Præpositio cùm casu privatur, in adverbium migrat. Cic. Att. *Tu adventare ac propè adesse jam debes.* Idem pro Flacco. *Multis post annis pecunia recuperata est,* Idem de natura Deorum, *Sensibus & animo ea, quæ extra sunt, percipimus.* Hujus generis sunt antè, contrà, circà, circùm, extrà, infrà, post, propè, ponè, ultra, usque. Cic. Att. *Ipsum quod me mones; quatriduò antè ad eum scripseram.*

CONSTRVCTIO ADVERBII.

NOMINATIVVS POST. Adverbia.

EN, ecce nominandi, seu accusandi casum admittunt. Cicero pro Deor. *En crimen, En*

causa

causa. Plaut. *En rectum, en tegulas en obductas fores.*

GENITIVUS POST Adverbia.

Satis, abundè, affatim, parum, instar, partim ergo pro causa, Genitivum, postulant. Ter. Phor. *Satis jam verborum est.* Cicero de clar. Orat. *Plato mihi unus est instar omnium.* Liv. *Victoria navalis ergò, in unum diem supplicatio decreta est.* Plaut. *Tibi divitiarum affatim est.*

Adverbia superlativa à nominibus orta, etiam genitivum postulant. Cic. de clar. Orator. *Maximè omnium nobilium Græcis litteris studuit.* Idem ibid. *Sæpissimè audio illum omnium ferè Oratorum Latinè loqui elegantissimè.*

ADVERBIA LOCI.

Ubi, ubinam, ubicunque, ubivis, quovis, quoquo nusquam genitivos terrarum, gentium, eleganter admittunt. Cic. *Quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem.* Terent. Adelph. *Fratrem nusquam invenio gentium.* Plaut Asin. *Perij ego oppidò, nisi Libanum invenio, jam ubi, ubi est gentium;* Cic. in Philip. *Qui ubicunque terrarum sunt, ibi est omne Reip. præsidium.*

Pridiè & postridiè & genitivum, & Accusativum casum petunt. Cic. Att. *Pridie ejus diei venit.* Idem Appio. *Pridie nonas Junij, cum essem Brundusij &c.* Cæsar. *Postridiè ejus diei Cæsar, præsidio utrisque castris, quod satis esse visum est, reliquit,* Cicero. Att. *Postridiè ludos Apollinares.*

DA-

DATIVUS POST
Adverbium.

QUædam dandi casum postulant, more eorum unde deducuntur, ut: *Congruenter, convenienterque naturæ vivere: dicere convenienter rationi: obviam alicui ire, procedere, prodire*, Cic. de Fin. *Non quæro quid dicat, sed quid convenienter rationi possit, & sententiæ suæ dicere.* Idem. *Cæsari ex Hispania redeunti obviam longissimè processisti.*

ACCUSATIVUS POST
Adverbium.

PRopiùs, proximè accusandi casum exigunt Cic. ep. ad Oct. *Cur castra longius adversariorum castris, & propius urbem moventur?* Idem in M. Ant. *Brutus operam dat, ut cum suis copijs quàm proximè Italiam sit.*

ABLATIVUS POST
Adverbium.

COmparativa ablativo gaudent. Cicero 1. de inven. *Lacrymis nihil citiùs arescit.* Idem ad Curion. *Nemo est, qui tibi sapientiùs suadere possit te ipso.* Terent. *Dies triginta, aut plus eo, ut conjicio.*

ADVERBIA LOCI.

ADverbia quibus interrogamus, sunt hæc: Ubi, undè, quo, quorsum.

UBI.

Ad interrogationem Ubi, redduntur hæc:

hæc: *Hic, istic, illic, ibi, inibi, ibidem, alibi, alicubi, ubique, utrobique, ubilibet, ubivis, ubicunque, passim vulgò, intùs, foris, nusquàm, longè, peregrè.* Item. *Suprà, subter, infrà, antè, post, extrà, cùm fiunt adverbia.* Cic. ad Torquantum: *Nemo est, quin ubivis, quàm ibi, ubi est, esse velit.*

UNDE.

Ad unde redduntur hæc: *Hinc, istinc, illinc, indè, indidem, aliundè, undelibet, undevis, undiquè, undecunquè, undequaquè, aliundè, utrinquè, eminùs, cominùs, supernè, infernè, peregrè, intus foris.* Terent. *Vide ne quò hinc abeas longius.*

QUO.

Ad quò redduntur hæc: *Huc, istuc, illùc, eò, eodem, ille, aliò, aliquò, neutrò, utroque, quoquò, quocunq, quovis, quolibet, intrò, foras, peregrè, longè, nusquàm,* Ter. *Abi parmento intro, ac me venisse nuncia.*

QUA.

Ad quà redduntur hæc: *Hac, istac, illac, aliquà qualibet, quacunque,* Terent. *Plenus sum rimarum, hac, istac perfluo.*

QUORSUM.

Ad quorsum, idest quem locum versus redduntur hæc: *Horsum, istorsum, illorsum, aliorsū, deorsum, sursum, dextrorsum, sinistrorsum, lævorsum, prorsum, rursum, introrsum, vel introrsus, retrorsum, vel, retrorsus, quoquoversum, vel quoquoversus.* Ter. Phor. *Horsum pergunt.* Idem ibidem. *Sex, ego te totos Parmeno hoc menses quietum reddam, sursum deorsum cursites,*

UT

UT

Post has voces, adeò ità sic, tam, talis, tantus, tot, ferè, nunquàm ponitur. Quod, sed, Ut, cum subjunctivo, Cic. pro Rab. *Adeòque hostes hucusque urbis, adeòne ignarus es disciplinæ, consuetudinisque nostræ, ut hæc nescias.* Idem 1. Tusc. *Non sum ita hebes, ut ista dicam.*

ADVERBIA IN UM.

Adverbia in um positivis gaudent, ut: *Parùm, multùm, nimiùm, tantùm, quantùm, aliquantulùm.* Cic. ad Att. *Parùm firma sunt, quæ de fratre meo scribis.* Idem in Rull. *Socer hujus viri multùm bonus est.*

ADVERBIA IN O.

Paulò, nimiò, aliquantò, tantò, eò, quò, multò, hoc pro tantò comparativo adhærent, Cic. de Offic. *Quantò superiores sumus: tantò nos submissiùs geramus,* Cic de Amicit. *Nec verò corpori solùm subveniendum est, sed etiam menti, atque animo multò magis.*

INTERJECTIONIS Constructio.

O Tribus casibus adjungitur Nominandi, Terent. Phor. *O vir fortis atque amicus.* Accusandi, Cic. Ter. *O me perditum, ô me afflictum.* Vocandi, Ter. *O Dave, itàne contemnor abs te?*

HEU, PRO.

Heu & prô, modò nominandi, vel potiùs vocandi casum postulant. Virg. *Heu pietas, heu prisca fides.* Liv. *Tantum prô dolor degeneravimus à parentibus*

tibus nostris. Modò Accusandi, Cicero in Marc. Ant. *Heu me miserum, cur senatum cogor, quem semper cogor, quem semper laudavi, reprehendere?* Idem in Verr. *Prô deum hominumque fiem.*

Prô apud Cicer. 2. Phil. Vocativum habet, *Quæ enim res unquam (prô sancte Jupiter, non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major;* Heu etiam Dativo gaudet. Plaut. *Heu mihi, nequeo, quin fleam,* Idem. *Heu misero mihi.*

HEI, VE.

Hei, VÆ, Dativo gaudent. Terent. Haut. *Hei misero mihi.* Idem. *Væ misero mihi.* Hei etiam Vocativo additur: Plaut. *Hei Megadore haud decorum facinus tuis factis facis.* Terent. *Hei mihi laudo: tandem perdoluit vires.*

CONJUNCTIONIS
Constructio.

CONjunctiones copulativæ & disiunctivæ, cùm ad idem verbum referuntur, similes casus connectunt. Cicero in Ant. *Quis non doleat interitum talis viri & Civis?* Saluft. *Divitiarum & formæ gloria fragilis est.*

Quam, nisi, an, præterquam, eosdem, itidem casus copulant: Cic. Att. *An existimas ab ullo malle me legi, probarique quàm à te?* Idem pro Sestio, *Quem unquam Senatus civem, nisi me, nationibus exteris commendavit?* Idem de Orator. *Refert etiam, qui audirent, Senatus, an Populus, an Judices.* Idem in Catilinam, *Pro tantis rebus nullum à vobis præmium postulo, præterquam hujus diei memoriam sempiternam.*

FINIS.